



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 9. Religiosus cetera negligens, ob iniurias condonatas, iudicium Dei
euadit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

sanguinem in eius gratiam profundere non dubitarent. Quòd si dux se pestilentis illius susurrone hortatibus ad sæuitiam fuisset exacerbari, quâ re nisi lugubri vlulatu, avertis à se cæterorum mentibus & sexcentis alijs urbem calamitatibus impleuisset? cum nunc vniuersos summam dederit in lætitiâ, beneuolentiâ sibi adiunxerit singulari, ut eum vnicè diligerent, & inconuulsam præstarent fidem, nec Herculi modò Patri obtingeret hæc felicitas, sed in nepotibus quoque hodie perseveret, ac perennet.

§. IX.

Religiosus cetera negligens, ob iniurias condonatas, iudicium Dei euadit.

Hunc patientia, mansuetudo, & clementia fructum protulit apud mortales, ut non tantùm Herculis nomine dignus esset Princeps, qui hæreditate, patriaque sede & dignitate, per summam iniuriam priuatus, ac postea etiam armis appetitus, veniam dedit rebellibus; sed etiam mirè sibi omnium animos conciliaret, atque ex hostibus amicos, ex seditiosis pacatos, ex immorigeris homines frugi, & quales esse oportet ciues, faceret. Numquam ita florisset, si de honore, deque potestate deiectus non fuisset, Utiliter

ter iactatus est, vt per magna pericula perueniret ad magnam securitatem. Longè autem maior securitas fuit alterius, de quo Anastasius Episcopus Antiochenus cognomento Sinaita in oratione de sacra fynaxi, quam Achilles Staius Lusitanus in Latinum à se conuersam sermonem obtulit Gregorio XIII. Pontifici Maximo Anno Christi 1579. in qua oratione hanc historiam his verbis refert. *Vir vnus ex ijs qui monachali insigniti sunt schemate, cum negligentissime per summum otium vitam suam omnem egisset; ea que esset ad mortem, infirmitate coepit infirmari. Cumq; iam ultimum spiritum duceret, suam ipsius mortem nequaquam perhorrescens, summam voluntate, magnaq; cum gratiarum actione exolutus vinculis excedebat. Ad quem assidentium Patrum vnus: Frater, inquit, persuasum tibi habeto, & putasse nos, & vidisse summam negligentiam, animiq; remissione vixisse te vtiq; ad hoc vsque tempus: & vnde hac tibi nunc tanta securitas, id verò omnes nescimus. Cui respondit Frater: Est ita omnino, Patres, vitam per summam negligentiam duxi: sed Angeli Dei eadem hac ipsa hora peccatorum meorum ad me chirographon attulerunt, cumq; ea que fecissem postquam saeculo renuntiassem peccata legissent,*

Ex Anastasio eandem ex scripsit Card. Baron. tom. 8. Anno Christi 1599.

numquid agnoscerem, rogauerunt. Quibus ego: Maximè verò, inquam, agnosco: sed idem ex quo renuntians seculo, vitamq; institui monasticam, nec iudicari quemquam, nec ab ullo mihi factam iniuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto & oro, qui dixit: Nolite iudicare, & non iudicabimini: & dimittite, & dimittetur vobis. Quis postquam Angelis dixi, chirographon peccatorum meorum considerunt: & inde nunc summa cum letitiâ & securitate proficiscor ad Dominum. Hac ubi frater ille narrauit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit, magnâq; astantibus adificationis utilitatîq; causa & autor extitit. Eat nunc aliquis, & conquerratur de Deo permittente, vt homines spernantur, iniurijs, contumelijs, sexcentis de spectibus obruantur; hæc omnia segesunt patientiæ, gloriæ, & coronæ cælestis metendæ.

